

A nem secundum magis & minus, & sic nec figurat. unde auctor sex principiorum in simili dicit, quod substantia, & qualitates in quantitate magis & minus non cōueniunt. quoniam ipsarum impositio in termino est ultra quem transgredi impossibile est. qualitates autem in quantitate appellat qualitates de quarta specie, ut est forma uel circū aliquid cōstantis figura, ut etiam dicit Auer. in. 4. Phy. cō. 8 ubi dicit quod Arist. in. 7. declarauit quod motus alterationis non inuenitur in Prædicamento qualitatibus, nisi in genere qualitatibus passiuarum secundum adum, gustum, & uisum. nam istas qualitates recipiunt, magis, & minus, & non est ita de qualitatibus quæ sunt in aia & inanimato, & qualitate quæ est secundum quantitatem. per qualitates. n. quæ sunt in anima, & animato intellexit qualitates de prima specie qualitatibus, quæ sunt habitus, & dispositiones, & per qualitates secundum quantitatem qualitates de quarta specie, & ita etiam dicit in. 7. Phy. in cō. 15. & est etiam sententia Boethii in Prædicamentis. in hoc igitur cōuenit figura cum forma substantiali pfecta, quod secundum rationem formalem essentia earum consistat in termino, & in indiuisibili. unde Arist. dicit in Prædicamentis assignans rationem quare qualitates in quantitate, ut triangulum uel quadrangulum, & huiusmodi non suscipiunt magis, & minus, dicit, quæcūq; n. diffinitionem trianguli, uel circuli recipiunt, similiter trianguli, uel circuli sunt. Ex hoc tamen non licet inferre quod figura fit pfectius, & magis ens quod forma elementalis. nã prædicamentum qualitatibus recipit magis & minus. prædicamentum autem quantitatis non recipit magis, neq; minus, ut dicit Auer. in Prædicamentis, similiter relatio secundum plurimum sui magis & minus non recipit, & tamen non dicitur Prædicamentum qualitatibus esse minoris rationis essendi quod Prædicamentum quantitatis, cum quantitas insequatur materiam, & qualitas formam, aut saltem non est minoris raritatis, quæ sunt illarum relationes quod non recipiunt magis & minus. nam ut inquit Com. 1. 2. Meta. cō. 10. relatio est debilitatis esse alius prædicamentis, ita quod quidam reputauerunt ipsam esse ex secundis intellectibus, unde licet in genere substantiarum formæ, quæ non recipiunt magis neq; minus, sint perfectiores, quæ formæ elementales quæ recipiunt magis & minus, secundum Com. tamen comparando formam unius prædicamenti ad formam aliter prædicamenti. Ex hoc non licet uniuersaliter hoc inferre, immo si res se speculatus fueris inuenies quod in formis eiusdem prædicamenti in Prædicamentis accidentium hoc generaliter locum non habet. nã certum est quod in qualitatibus tertie speciei in quibus est motus alterationis est reperire magis & minus, ut sunt qualitates tangibiles. qualitates autem de quarta specie non recipiunt magis neq; minus. nullum autem sanæ mentis dicere qualitates quartæ speciei, ex eo quod non recipiunt magis, neq; minus esse maioris entitatis, & perfectionis, quam qualitates tangibiles, cū illæ non sint de uirtutibus actiuis, sicut neq; quantitas in qua fundatur. ut dicit Commen. in. 4. Phys. auct. scilicet in commen. 84. quantitas non est de potentiis actiuis, sed sequitur potentias actiuis, & operationes earum. scilicet calidum, & frigidum, immo Arist. omnem realem transmutationem, & alterationem in istis generabilibus inuentam re ducit ad istas quatuor primas qualitates contrarias quibus mediantibus fit actio, & passio. Non bene igitur inferretur quod figura cum fit accidens, & non recipiat magis, & minus, forma autem elementis recipit, ergo est magis ens, perfectius ens, quam forma elementis. nam perfectio in formis ex operationibus earum innotuit à signo philosophis, sicut dicit Commen. in. 6. Disputa. in lib. Destruct. destruct. in solutione sexti dubii. ubi inquit, quod philosophi simpliciter signum subiecti ex passionibus, sicut signum formæ repererunt ex actionibus impossibile. n. est quod actio, & passio ab una, & eadem natura procedant. Manifestum est autem quod forma elementi longe nobiliores operationes habet, quæ figura: tum quia facit hoc aliquid quod non facit figura, tum etiam quod est principium effectuum principale motus localis, intranscūm in ipsis elementis. Nam Commen. in. 1. Cœli & mundi. in commen. 17. inquit declarando descriptionem grauis, & leuis ipsi positas: & intelligendum

est ex descriptione grauis & leuis naturam, quæ est innata ad mouendum ad medium uel à medio. scilicet habitum & formam, ex qua procedit hæc operatio, est hoc nomen grauitas & leuitas non dicantur uulgariter nisi ex accidentibus. Sed tunc iterum insurgit noua difficultas in uia Auer. nam figura est de accidentibus terminatis. talia autem insequuntur formam, ut patet in. 1. ca. de Substantia orbis, & ideo mirabile uidetur quod causa ad quam consequitur aliquid recipiat magis, & minus, & suus effectus non recipiat magis & minus. Nisi esset quod accidentia terminata sunt à forma tanquam à fine, sed sunt ab agente tanquam à causa efficiente, quia agens dans formam dat accidentis concomitantia formam, mediante tamen forma ab agente autem, & forma accidentia emanant secundum quod sunt apta nata emanare, & ideo si forma est intentionem recipiens, & remissionem, figura uero non est capax intentionis, & remissionis forma illo modo, & figura diuerso modo erit ab agente. Accedit etiam quod figura in elementis non est essentialiter sicut in cœlo, sed est accidentaliter, quia in eis intendebatur receptio multarum figurarum, cum esse elementorum sit propinquus ad esse primæ materiam, quam ad esse formæ, sed corpus cœleste est e contrario, quia suum esse est propinquus formis, ut dicit Com. in. 2. Cœli. in cō. 22. Elementa. n. de se infigurata sunt, sicut materia de se informis est, sed recipiunt figuram per accidens, uidelicet ratione continentis, ut dicitur in 3. Cœli & mundi. in. 1. cō. 67. & ideo non ualet si forma substantialis elementis intenditur, & remittitur, ergo & figura, quia non est de accidentibus essentialiter concomitantibus formam elementariam, sed per accidens modo declarato.

In specie atomæ est comparatio.

Propo. 55.

F A M O S A est propositio, & colligitur ex merte Philosophi in. 7. Phy. tex. com. 29. & 31. ubi inter alias conditiones requisitas in uera comparatione addit quod debent esse unius naturæ, unde dicit in genere latitare æquiuocationes. Veritatem autem habet propositio de physica comparatione. de tali. n. loquitur Philosophus ibi. illa. n. requirit unitatem naturæ, & species autem uera natura est, nam species complete sumitur teste Porphyrio in ca. de differentia, & teste Philosopho in. 7. Primæ philosophiæ tex. com. 43. ab ultima differentia se ultimo actu, qui unus est uere in natura, sed genus nō sumitur ab aliqua forma in natura uere exite, sed solum secundum rationem. Nō. n. est aliqua forma realis in natura per quæ hō est aial, alia secundum rem ab illa per quæ hō est hō, omnes tamen hōes cum sit unius speciei conueniunt in forma quæ constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem, sed non est in homine, & equo & asino, aliqua anima cōis quæ constituit animal præter illam, animam quæ constituit hominem, & præter illam quæ constituit æquum aut asinum. Nam si ita esse genus utique physice esset natura. Et in eo possent fieri comparationes, unde lucidissimus Them. in. 1. de Anima. super. 8. tex. ubi Arist. inquit utrum diffinitio de anima inuestiganda sit una unitate generis sicut animal, aut sit una secundum speciem inquit. Neque parum refert hoc an illo modo diffinitio. genus. n. aut mera notio est, siue euidencia soliditateque; aliqua, sed ex tenui sub obscuraque; similitudine singularium collecta, aut penitissime nihil, aut quam singularia multo posterius. at species natura quædam esse amat & forma. nã ratio hominis simul atque iugata mater est, homo fit. & propter hoc Boethius bene dixit, quod species est tenuis similitudo ex indiuisibilibus collecta, & genus longe magis tenuis est similitudo specierum. hic igitur Aristote. secundum Physicam rationem loquutus offendit physicas comparationes esse in his quæ sunt eandem naturam participantia, & quia species specialissima unam naturam, & unam formam realem importat, iuxta illud Porphyrii, participatione speciei plures homines sunt unus homo, ideo in tali specie physice comparationes sunt, & ideo Aristote. uult ibi quod motus localis nō est comparabilis motui alterationis, nec motus localis rectus comparari debet motui circulari, quia

F.